MVSEVM
BRITAN
NICVM

EPISTOLA ARCHIMEDIS

AD

REGEM GELONEM,

ALBÆ GRÆCÆ

REPERTA.

Anno Æræ Christianæ 1688.

a. 3950.
authore Archibaldo Pitcairnio
M. D.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

TYPOGRAPHUS

LECTORI SALUTEM.

VIdetur hoc Fragmentum, quod forſan mirere nemini memoratum, tranſiſſe in Latinum Sermonem vergente jam imperio & ſuperante barbarie. Nolui tamen poſteris invidere quidquam, quod ab *Archimede* potuerit proficiſci.

Quare habe tibi quicquid hocce ſcripti &
Qualecunque; quod, ô patroa Virgo,
Plus uno maneat perenne ſæclo.

ARCHIMEDES GELONI REGI SALUTEM.

DELECTATUM te dicis, REX GELO, demonſtrationibus illis quas in Arenario noſtro de Mundi magnitudine nuper legiſti, quæriſque cùm tantùm poſſit Geometria ut hominem ad Cœlos attollat, annon & ipſum in omnis rei cognitionem deducat? Potiſſimùm verò rogas an illa Geometria, quæ Deorum ſedes aperit & hominum ſubjicit ſpeculatu, non etiam poſſit ipſas divinas

Naturas atque vires omnium potentes nobis patefacere? Insuper invitas me, si quas de cultu Deorum & hæresibus circa Religionem per varias Gentes variam disputatis habeam demonstrationes Geometricis similes, eas ut ad te transmittam.

Ego quidem ex muris nostris bellum spectans quod inter *Cartaginienses* atque *Romanos* in *Sicilia* geritur, Urbis incolumitati invigilo, machinasque Regis *Hieronis* jussu *Syracusis* propugnandis aptas excogito, & fabricandas artificibus trado.

Nam quamvis Pater tuus *Hiero Romanis* in præsentia gra-

gratus & amicus ſiet, tamen ſi *Carthaginienſium* in *Italia* minuantur opes (nullum enim *Carthagine* miſſum adhuc *Hannibali* auxilium audivimus) vehementer nobis metuendum ab *Romanis* erit, quos, ubi rerum fient potentes, ſolus cohibere poterit pudor & honeſti juſtique reſpectus ipſa apud homines ſectæ ſervientes Geometria rarior: incitabit verò ad nos perdendos dominationis atque prædæ cupido veſana nulliſque finibus coërcenda.

Sed quoniam Geometrica mea tibi placuiſſe video, juvat eorum quoque participem te facere, quæ Geometricis ſi-

ſimilia ſimiliterque exculta ſtudiis haud vulgaribus nuper agitavi, non ignarus quanti ſit momenti in vita feliciter exigenda rebuſque gerendis animum adferre purum iſtius ſuperſtitionis, quæ multos mortales inquinavit & imbecillos reddidit; à qua ſuperſtitione atque imbecillitate cupio te quàm longiſſimè abeſſe.

Quoties ea, quæ in Libro Mechanicorum ſcripſi, conferebam cum Phænomenis enaſcentibus ex motu quem terræ circum Solem gyranti conceſſit *Ariſtarchus*, inveſtigabam diligenter harum rerum cauſſas. Sed inanis erat labor, operamque ſemper perdebam.

Nam

Nam ex demonſtrationibus quas illic adduxi, manifeſtum eſt terram utpote gravem, ad centrum ſive Solem debuiſſe deſcendere. Quapropter cùm tellus noſtra circulationem perpetuò celebret, neque ad Solem deſcenderit, cenſendum eſt eam Theorematis mechanicis non eſſe adſtrictam, ſed ab aliqua vi in orbita detineri quæ legibus mechanicis ſuperior exiſtat, & quam (quia nomina rebus imponere licet atque prodeſt) pertinere dicemus ad Deum aliquem vel ipſum *Jovem*.

Deinde quoties de illa vi gravitatis ſuper qua nonnulla habes à me demonſtrata me-

ditor, nullas quæ vim iſtam corporibus natura inertibus indiderint corporeas cauſſas invenio. Quapropter & hanc ad divinam & cuncta moventem vim vulgo quidem ignotam lubens refero.

Sed mihi quam plurima cognoſcere volenti contigit aliquando *Eraſiſtrateæ* Sectæ Medicum convenire, qui miſſus ab *Antiocho* Rege *Syriæ* videbatur, ut vires *Carthaginienſium* atque *Romanorum* in *Italia Siciliaque* bellantium exploraret, & *Antiocho* magna agitanti referret. *Archiam* ſe vocabat homo vel Græcus vel Græcum ſe ferens. Is apud nobiliſſimos utriuſque Populi mag-

magnam inierat gratiam vulneratis opem præſentem ferens & nulli quæſtu inhians. *Syracuſis* certe magnos & pene Regios ſumptus faciebat, & iis qui medicinæ in hac Urbe dabant operam præſtabat ſe ſtrenuum promptumque doctorem. Secabat enim canum viventium, & vitulorum oviumque corpora *Eraſiſtrati* ritu. *Archias* ille non ſemel nobis oſtendit ſanguinem ex utero cordis ſiniſtro cum impetu exeuntem, quem *Eraſiſtrato* ſpiritum vocari dicebat, & per ramos denſi canalis ſurſum deorſumque prorumpentem, & ex hiſce per alias venas prioribus laxiores excep-

tum, uteroque cordis dextro refuſum, quo in motu vitam docebat eſſe ſitam: præcipuè verò venas illas obſervabat ex cordis ſinu ſiniſtro ad cerebrum pertinentes quæ alimentum cerebro inferunt. His ligatis & conſtrictis ſenſum vitamque confeſtim aboleri oculis noſtris fidem faciebat. Simul in medium proferebat dura quædam vaſa cavitate nulla conſpicua, nulloque liquore fœta, quem quidem licuit videre, quibus ſive ſectis ſive ligatis motus cordis cum vita peribat. Hæc vaſa deducebat à cerebro ad ipſas carnes quæ cordis fabricam conſtituunt. Ex hiſce didici nullum eſſe cerebro ſenſum

ſum aut motum, niſi ſanguis ad ipſum deferatur ex corde moto, neque ullum eſſe cordis motum, niſi vis aliqua ex ſanguine per motum cordis in cerebrum invecto derivata redonetur cordi eodem tempore, referaturque per dura illa vaſa quæ nervos vocabat *Archias*. Atque hinc etiam mihi perſuaſi, animalia iſta, ſive corporis animati fabricam à *Jove* fuiſſe conditam, nulla theorematum mechanicorum habita ratione; eamque vi ſupereminentis peritiæ, motuſque leges noſtras longiſſimè ſuperantis excitari.

Haud tamen decet hoc negotium è manibus dimittere pri-

priuſquam, Rex *Gelo*, Te monuero rem minimè vulgarem, de qua cum me ſolo communicabat *Archias*. Demonſtrabat ille cutim per plurima inviſibilia foramina pertuſam halitus & partes ſanguinis tenues nunquam non exſpirare. Idipſum quoque notum dicebat vetuſto Medicinæ Antiſtiti *Hippocrati Coo* Viro, qui tradidit eos eſſe ſalubriores quibus corpora faciliùs exſpirant. Quamvis enim *Eraſiſtrateum* ſe ferebat *Archias*, non tamen ulli Sectæ ſe penitus illigabat, aut temere fidem ſuam cuiquam adſtringebat, Vir, uti judico, candidus & apertus, quique Geometrica colentes magno

proſ-

proſequebatur honore. Ex iis quæ demonſtrabat comperi animalia iſta ſeminalia ſive ſemen ditantia non poſſe non evadere per cutim perpetua neceſſitudine circulationis, & ab hac enaſcentis exſpirationis foras eliminata. Videbam quoque corpora hominum minui inedia, ſemenque adeo inficientia animalia ex alimentis reparari. Quapropter *Archia* docente credidi, animalia cujuſvis generis (inter quæ plantas ille reponebat) quibus homines veſcimur, ſanguinem ferre animalium omnigenûm ſobole fœtum, quorum ſola pars humani generis detrimenta ſarcire nata deponatur in humanas

ſca-

ſcaturigines. Res hæc mihi mira quidem non opinanti viſa, ſed quam, demonſtrationibus *Archiæ* ſuffultus, pro certo nunc adfirmem, Animalia hominum ſeminalia omnibus animalibus ineſſe, plantiſque adeo; Omnium quoque Plantarum Semina & Animalium homini ineſſe, nec non fœminis omnium generum omnigena in ſanguine ova pullulare, fas ut mihi ſit credere vitæ aliquam ſortem ab *Jove* Optimo Maximo rebus ferè omnibus eſſe conceſſam. Sed hæc ego Philoſophis *Athenienſibus* excutienda relinquo.

Cùm itaque, Rex *Gelo*, Dii ſint quorum Optimus Maximus

mus *Jupiter* & terras & aſtra regat infinitis in locis glomerata, qui etiam omnigenûm Animantum ſæcla ſeminaverit, haud fuerit abſonum ad ea deſcendere quæ de cultu Deorum vulgo circumferuntur, ſi priùs te monuero nos Deorum quidem appellationem non reſpuere uſui morem gerentes, ſed uni tantum *Jovi* vim illam omnipotentem ſive omnimoventem adſcribere, quæ pluribus non bene conveniret.

Multi ſunt inventi non ſatis verſati in Geometricis qui numerum arenæ littoribus alveiſque marium aggeſtæ credideriint infinitum, quorum nos errorum & inſcitiam in arenario

rio tibi probato refutavimus: calculo quippe ritè inſtituto demonſtravimus explicari poſſe numeris valde mediocribus omnem illam arenæ multitudinem, aliamque omnem illa quantumvis majorem. Sed qui numerum eorum referre velit qui ſe cum Diis confabulari, Deorum reſponſa in vulgus edere, & ad ordinandas Reſpublicas ex *Jovis* atque Cælitum Conſilio demiſſos eſſe confirmant, opus ingredi ſe ſentiet haud paulò quidem minus at impeditius multò quàm illud eſt arenarii noſtri: præſertim ſi facultas animuſque ſit evolvere ſæculorum omnium gentiumque mores & fata hiſtoriis pro-

prodita, quidque ſit futurum ex iis quæ plerumque contigerunt ratione atque judicio conjicere. Quapropter unicam tantùm ſectam ob oculos tibi ponam, lubenter refugiens laborem deſcendendi in arenam cum aliis tam multis, quarum proprietates & ſententias haud erit operæ pretium cognoſcere Regem, cujus ſumma Reipublicæ negotia ſuſtinentis tempora non decet me longo ſermone neque per ambages morari, difficili præſertim patriæ ſorte & inter populos rivales ancipiti. Proponam ergo tibi ſectam *Romanorum*, qui magnum ſibi nomen comparaverunt, & *Siciliæ* veſtræ propius

nunc imminent, amicitiaque *Hieronis* diuturna freti nobis ſe familiares, & aſſidua conſuetudine notiſſimos reddiderunt.

Pompilius Numa qui poſt *Romulum* ſecundus regnavit hanc ſectam inſtituit, uti accepimus ex ejus populi probatiſſimis hiſtoricis. Ille Religionis quæ nunc tenet *Romanos* præcepta teſtatus eſt ab *Ægeria* quadam Dea, ſive Nympha, ſoli ſibi tradita, populoque colenda. Hiſce præceptis alia ſunt adjecta, poſtquam participes facti ſunt *Etruſcæ* diſciplinæ *Romani*; quamvis mihi de Rebus *Italis* percontanti veriſimile fiat ante *Numam* vi-

viguiſſe apud *Romanos Etruſcorum* diſciplinam. Docebant *Etruſci Tagen* quendam ſive Deum ſive hominem, puerili certè facie, in agro *Tarquinienſi* repente ex terra ſulco fortè altius impreſſo exaratum fuiſſe & exſuſcitatum, eumque qui arabant affatum. *Tagen* hunc narrant *Etruſci*, qui bubulco naſcentem vidiſſe dicenti crediderant, oratione luculenta ſeniliſque prudentiæ plena, primordia omnis haruſpicinæ monſtráſſe, cujus tanta nunc eſt apud *Romanos* Auctoritas, ut ſi quis eam contempſerit is contra Deorum religionem facere videatur. In illa tamen diſciplina oportet credere ſæ-

pius in ipſo immolationis tempore deficere cor, jecur, & exta quævis ſine quibus ipſa victima vivere nequiſſet, eaque non ſemel ſupereſſe cum quibus animal pecusve non potuiſſet vivere. Quæ res poſtulato nituntur haudquaquam Geometris agnito, poſſe ſcilicet haruſpicem ea perficere quæ nemo ſanæ mentis fieri poſſe crediderit. *Archias* ſane noſter hæc & his ſimilia fieri non poſſe clariſſimè monſtravit: Sed hiſce de rebus eſt hic altiùs paulò diſſerendum.

Adverti jamdudum in omni Secta ad hominum mores Religione coërcendos inſtituta duo potiſſimùm debere ſpectari.

tari. Nempe primum ea quæ ſectæ illi propria privataque ſunt. Quale id eſt apud *Romanos*, *Numam* fuiſſe ab *Ægeria* Dea edoctum, *Tuſcos*que per *Tagen* haruſpicina mirabili imbutos, eaque vi Haruſpices comitari quæ in ipſo immolationis tempore ſæpius efficiat extorum mutationem, ut aut abſit aliquid aut ſuperſit.

Quæ ſecundo loco ſpectare decet in Secta debent illi cum Sectis aliis omnibus eſſe communia.

Quale illud eſt, *ab alio tibi exſpectandum eſſe quod alteri feceris*, ſive quod eodem redit, *alteri non eſſe faciendum quod ipſi tibi nolles factum.*

Et, quæ hinc emanant omnia, juſtitiæ, virtutiſque divina præcepta: Quæ quidem apud omnes Gentes eadem exſiſtunt; neque enim ſunt hæc à quopiam ſive conficta ſive inventa, ſed ut homines ad ea promptiùs adverterent animos Gentium quarundam Legibus memoriæ noſtræ commendantur.

Deinde demonſtrant obſervationes hiſtoriæque Gentium non unâ magis quam aliâ quavis Sectâ homines eſſe factos meliores (etiam quam ii ſunt qui nulli Sectæ ſerviunt) neque fructum aliquem in *communibus* perceptum eſſe ex admiſſis *proprius*.

Ne-

Neque enim aliter fieri potuiſſe patet ex iis quæ præmiſimus. Illi quippe Religionis auctores ſivè fautores, Sacerdotes, Haruſpices, Pontifices, hoc eſt, illi qui Sectæ propria invenerunt, eamve condiderunt, ſemper de propriis quam de communibus magis fuere ſolliciti, nam propter opinionem de propriis Secta eſt condita. Nemo dixerit, Rex *Gelo*, *Romanos* eſſe juſtiores factos aut meliores poſt *Numam* natum quàm ante natum fuiſſent. Nemo dixerit credideritve parricidium non eſſe committendum propterea quòd *Numa Pompilius* monente Dea *Ægeria*

committi vetuerit, aut patriam non esse prodendam atque tradendam in servitutem, quòd oraculo *Delphico* id fuerit prohibitum; vel immania furta, latrocinia, dolisque malis paria vel affinia esse fugienda, quoniam Deus aliquis ea non licere pronunciaverit *Numa Pompilio* teste; sed ideo quòd ejus hæc naturæ sient, ut ea ne quidem Diis præcipere licuerit. Atque hoc tam manifestum est quàm nos liquet credere circulum æquari triangulo rectangulo, cujus radius sit æqualis uni lateri circa rectum angulum, perimiter verò basis, non ideo quod hoc ab *Appolline* fuerit

(teſte puta *Clodio*) pronunciatum, ſed ideo quod natura prius ineſſet hiſce figuris, & à nobis demonſtratione patefactum.

Ex hiſce ſequitur *Romanos* juſti atque honeſti ſanctiores non exſtitiſſe cultores poſt *Ægeriæ* Deæ recepta per *Numam* præcepta, & *Etruſcorum* qui *Tagen* credebantur audiſſe Religionem civitate donatam, quam *Romulo* regnante ipſi ipſorumve parentes fuiſſent. Cujus quidem rei *Sicilia* veſtra teſtis eſt locuples; nam de *Italia* ab *Romanis* oppreſſa non opus eſt dicere, cùm eæ quæ quotidie audiuntur ad *Pœnûm* defectiones rem omnem

clariſſimè proclament. Sed nimium fui verboſus, cùm ſatis fuiſſet hoc unum ob oculos tibi ponere, *Quod ille qui ſola auctoritate* Numæ *vel Pontificis parricidia credit illicita, eidem* Numæ *paricidia licere confirmanti credet ac obſequetur, & qui credit cor animali defuiſſe Haruſpice divina quadam vi rem factam teſtante, & ſceleratiſſima quæque credet is & perpetrabit eodem auctore.* Tantùm abeſt ut Sectæ deditus evadat Civis melior, quàm fuiſſet ſi Sectam nunquam attigiſſet. Semper enim memorem oportet eſſe Sectam condi propter opinionem de propriis. Non audi-

mus

mus tantùm, ſed quotidie videmus apud *Romanos* multò eum eſſe deteſtabiliorem qui propria temnit quàm qui communia. Hujus rei teſtis eſt *Publius* ille *Clodius*, qui priore bello Claſſem ad *Drepanum* perdidit, deſperantibus ex religione & ſegnius pugnantibns *Romanis*, quòd *Clodius* contra auſpicia ſive propria Sectæ præcepta pugnaſſet, qui tamen nulla Deorum ira ſe premi credidiſſent quod latrones, homicidæ, mœchi, perjuri, atque ſicarii ad bellum adverſus *Carthaginienſes*, & ad inſulam populandam domo exiſſent. Addere lubet impietatem hanc *Clodii* multum ſorori *Clodiæ* nocu-

cuiſſe ipſo licet exſtincto, tanto plus poteſt amor Sectæ quam juſti atque honeſti reſpectus.

Obſervaverat *Clodia* poſt pugnam ad *Drepanum* minorem fuiſſe in urbe *Roma* frequentiam, eandemque creviſſe Fratre dudum exſtincto, carpentumque ſuum demoratam. Optabat illa fœmineo & inutili voto fratrem reducem minuendæ frequentiæ cauſſa, ſi rurſus frater duceret fortè claſſem Romanam. Optabat *Clodia* iracunda quod carpentum lentè procederet, irrito voto, & haruſpici quoque ridendo. Quid quæſo cenſes in eum facturos *Romanos* qui locum optaſſet, in quo ſi conſiſteret, tel-

tellurem ipſam dimoturum ſe promitteret? Votum eſt hoc quoque irritum & inutile, rei tamen demonſtratio facilis atque pulchra, quæque, ſi voto *Jupiter* annueret, multo majorem rerum viciſſitudinem *Romanis* inveheret quàm iterata ad *Drepanum* clades feciſſet. Sed obfuit *Clodiæ* pugna illa infelix, quam auſpicia ſive Sectæ propria videbantur vetare.

Hæc etſi ſufficere poſſent tibi tuique ſimilibus, hominesque cordatos illicere ut ab omni Secta ſeſe abſtineant, non tamen pigebit ad abundantiorem ſcientiam aliud ſubjicere theorema, quod ſic ſe habet.

Sint duæ Sectæ expoſitæ.

Cre-

Credibilitatis quantitas, ſive quantum hoc eſt fidei quod primæ Sectæ propriis convenit, eam habet rationem ad id quantum eſt fidei ſive credibilitatis eam quantitatem quæ propriis ſecundæ convenit, quam habet numerus auctorum ſive teſtium. qui propria primæ primi prodidere, ad numerum teſtium ſecundæ ſimilium.

Et fides (de quantitate ſive magnitudine ſemper loquor, quam ſolam Geometra rimatur) quæ debet adhiberi propriis Sectæ, fert eam rationem ad fidem quæ communibus adhiberi debet, quam fert rationem illorum numerus qui propria primi prodidere ad numerum

rum generis humani communia excolentem. Obtinent hæc locum ubi teſtimoniis & hominum auctoritatibus agendum eſt. Nam cùm pauciſſimi fuerint in omni Sectâ qui *Jovem* ſive audierint ſive audiſſe ſe dixerint loquentem legeſque ferentem, res omnis ad hominum pauciſſimorum, vel etiam ad unius plerumque hominis auctoritatem redibit, uti factum eſſe accepimus in morte *Romuli* qui primus *Romæ* regnâvit, quæ uno *Julio Proculo* auctore credita fuit ab univerſa multitudine *Romana* & hodie quoque creditur cum immortalitate eſſe mutata, cùm eum *Proculus* in Cælum pronun-

nunciaſſet raptum ſublimem procellâ ad *Capræ* paludem coortâ.

Facile theorema noſtrum demonſtraveris, Rex *Gelo*, poſtquam te monuero parem adſumi omnium ubique teſtantium de propriis veracitatem; quippe parem ubique fidem apud ſuos cultores invenere, qui omnes primis Sectæ ſuæ conditoribus tanquam viris integerrimis & ſcientiſſimis credidere.

Memineris tamen agi ſemper de iis quæ ſolis teſtimoniis nituntur. Exemplo res fiet manifeſtior.

Teſtimonio nititur eſſe Ducem *Pœnorum* in *Italia Hanni-*

nibalem; teſtimoniis quoque creditur eum *Romanos* ad *Ticinum*, deinde ad *Trebiam*, nuperque ad Lacum *Traſumenium* magno prælio ſuperaſſe. At ſi quis adfirmarit *Hannibalem* eas tres pugnas eodem tempore pugnaſſe uno eodemque uſum exercitu, fidem apud peritos haud inveniret (quod ea res teſtimoniorum vires ſuperet) quamvis etiam extricandi ſui cauſſa perſuadere vellet unicum quidem eſſe *Hannibalem*, ſed qui tres Duces diverſos unus in ſe haberet, nempe *Ticinenſem*, *Trebianum* & *Traſumenium*, tam diverſos quàm diverſa ſunt in quibus pugnatum eſt loca.

Quippe teſtimoniis id unum nititur, eſſe *Hannibalem* in *Italia Pœnorum* Ducem, qui tribus præliis variis temporibus diſſitiſque locis *Romanos* ſuperarit. At eum unicum in tres partiri poſtulato nulli reſpondet, cùm etiam in homines quatuor hominem unum *Hannibalem* eodem jure poſſint partiri, ſi fors ille de *Romanis* quartam victoriam aliquando reportaverit.

Juvat hic Te nonnihil monere de præſtigiis, quas primum Egyptii homines, poſtea Græci Poetæ & Hiſtorici, vulgo imperito totiès objecerunt, neque enim, ut Græci Poëtæ non ſemper mendacis uſurpem ver-

verba, uſque eſt adeo horribile malum, quod in hominem non cadat. Poſſunt certè voluntates hominum per incredibiles & ridiculas cauſſas moveri.

Hi Præſtigiatores, Thaumaturgi, aruſpices, & id genus deluſores Deos ſe aut Deum legatos multis ante nos ſeculis ſimularunt, & pro Dis coli ſumma ope ſunt adniſi. Si pietatem coli juſſerunt, ſi juſtitiam coram populo laudarunt, ſi Parentes honore proſequendos, commoda Patriæ prima nobis eſſe debere propoſuerunt, alterique facienda quæ nobis facta vellemus; intereaque præſtigiis & miraculis imperitos homines inducere ad hæc

credenda ſe prædicent, nequaquam fides eſt iis habenda. Hæc enim Effata mentibus hominum ſunt a Jove Optimo Maximo indita, uti indita eſt ea vis, qua ſcimus Duo & Duo eſſe Quatuor; & propterea non eſt opus miraculis novis, ut hæc & hiſce ſimili diſcamus. Miraculum unicum eſt Jovem omnia pro ſua voluntate Creaſſe, neque credibile eſt eum Facti ſui pœnituiſſe, quod ab infinita ſapientia fuerit profectum, conſilioque quod in molius mutari poſſe nefas eſt augurari.

Quoties, Rex Gelo, meus ille Archias riſit Egyptios & Græcos qui Jovem mutarunt

in

in belluam, taurum, Hominem, Herculemque tradunt progenuiſſe ritu quo Amphytrion debuit; miracula jactantes ad has res confirmandas, quæ prorſus fieri non poſſunt. Nemo Jovem unquam vidit, Hominem pro Jove in ſcenam producere infinitæ eſt dementiæ. Qualia ſunt mendacia narrantium, Ranas, & angues de rebus humanis atque divinis eſſe locutos, eârumque ſcientiam profeſſos; fungos in homines, virgas in angues, Draconis dentes in viros eſſe mutatos, lapideſque a Pyrrha jactos in homines, cujus rei teſtes erant nulli præter ipſos qui ſe lapides meminerant olim

fuiſſe, virgines à Jove compreſſas atque Ganymedem in Cælum ſublimem raptum, hoc eſt, hominum, taurorum, arietumque corpora aere quolibet eſſe leviora.

Hæc ubi legeris, nihil erit Rex, in iſto Hiſtorico credendum, cujus fides non fuerit naturâ menti tuæ inſita per illum Jovem qui Geometrica nos docuit, atque pro certo habe, ea quæ jactantur miracula (cum veritates omnibus notæ tali non egeant auxilio) huic ſolum negotio inſervire, ut Homines quidem ambitioſi pro Dis poſſint a ſtultis coli: quod natura rerum non patitur, & apud peritos

ritos fidem non invenit. Profecto qui talia prædicant, Rex Gelo, nullam fidem merentur, & ab omni civitare debent exulare, neque enim potest ulla cum iis coli societas. Si sibi ipsis credunt, suisque sensibus oportet eos usos esse sensibus a nostris longissime diversis, adeoque inter nos homines recipi non debere.

Si rustici tres Tage impulsore vel alio quolibet fæminis administrantibus permisti patri tuo affirmaverint vidisse se Amilcarem Pænorum Ducem callidissimum, qui bello primo Romanis verba dedit, ad vivos redeuntem cum illo Exercitu quo Mercenarios Car-

thaginienſium delevit rebellantes, an tu putas Romanos ab Hannibale nunc vexatos talibus fidem habituros, aut propterea Pœnis terga verſuros, & curam Urbis & Imperii omnem abjecturos. An non mihi potius credis coronam patri tuo Hieroni oblatam demonſtranti non fuiſſe ſinceram, quam Artificibus aliquot auri fame permotis qui miraculo a Jove demiſſam ſinceramque ſibi traditam de cœlis audacter pronuncient? Tu ſic exiſtimes velim, iſta quæ jactantur miracula aut inter pauciſſimos aut imperitiſſimos, lociſque remotiſſimis ab omni eruditione, temporibus omnem memoriam

riam & Hiſtoriæ credibilis fidem antegreſſis venditari. Sed noſtri coronæ artifices nihil de me ſomniabant, alioquin Coronam ex Jovis Ammonis fano ipſi hinc abſentes emiſiſſent, mortemque meam taciti expectaſſent, uti prius Cononis expectaverant.

Nihil iſtis miraculis ſimile Syracuſis invenias aut Athenis, Carthagine vel Roma profectum, ſed omnia inter ruſticos perpetrata fanatica conjuratione, doliſque præſtigiatorum captos.

Quoties audivimus Piſcatores Syracuſios lucri captandi gratiâ miracula Mari Subitò enata, Caſtoremque & Pollu-

cem, qui nulli sunt, se vidisse plebi credulæ persuadentes? Quoties me meisque levitatem plebis, imperitæ & stultitiam explorantibus persuasum est & Piscatoribus & plebeiis pisces ementibus, non esse pisces quos ceperant illi hique emerant, sed fulicas esse mergosque; atque etiam mullos, thunnos & Delphinos versos in canes marinos, phocasque aut phocenas, postquam multi nostrûm dissiti locis eadem ipsis consultò adfirmassemus, eo eventu ut isti rudes & rerum ignari homines, non solum crediderint, sed etiam aliis fidenter asseruerint vera esse omnia quæ ex nobis audierant

rant, atque mendacia pro miraculis obtruſerint, ſeque atque ſui ſimiles religione induerint hominibus nefariis & ambitioſis uſui futura, ſi forſan in tales inciderint, qui ope ſacerdotum deluſas vulgi viles animas in eam opinionem tranſverſas agant, ut Dîs fere ſe pares atque cæleſtis ſcientiæ populis aliis negatæ participes eſſe factas vaniſſimè crediderint. Totumque hoc negotium de miraculis adeo jactatis, atque Tage Tagiſque ſimilibus quos Juppiter ſpreta rerum naturâ olim a ſe ſtabilita ἀπατόρας & terræ filios fallere fallique neſcios ſolo extulerit, aut cælo demiſerit, fa-

facile abſolvitur, ſi advertamus exceſſum quo numerus hominum maximus ſuperat minimum, pro nihilo haberi, cum de poteſtate Jovis loquimur, adeoque non minus facile fuiſſe omnes homines Tagi ſcientia & pietate pares feciſſe, quàm Tagem edidiſſe, cui exarando opus erat legibus ſuis vim inferre fraudemque facere.

Supereſt nunc ut adfine Problema ſolvamus, quod eſt hujuſcemodi: *Datis Sectæ propriis verum Sectæ auctorem invenire, ſive definire quis qualiſve fuerit.*

Dicebat *Pompilius Numa* leges rituſque ſacrorum tradi-

didiſſe Deam *Ægeriam*; *Etruſci* ſe perhibent edoctos Haruſpicinam à puero *Tage* ſubito terris enaſcente: multi Religiones ſuas ad *Phœbum Delphicum* referunt, auctoreſque alii alios jactant. Sed fieri poteſt ut *Numa* fuerit uſus auctore minus illuſtri quàm eſt Dea quæpiam, & ut *Tages* ille nuſquam fuerit, ut nullus Deorum *Delphis* oracula fuderit. Neque enim quidquam eſt proprium *Romanæ Tuſcæve* diſciplinæ quod non ab homine *Romano Tuſcove* nulla ope Divina præter morem ſuffulto potuerit inveniri, & ad Deos auctores referri.

Quapropter fieri poteſt ut hæc

hæc propria Sectarum à multis aliis profluxerint diversis ab iis, qui jactantur, auctoribus: idque adeo ut hoc Problema quodammodo referat Geometricum illud de locis, cujus constructio tantopere quæritur.

Quippe manifestum est *Ægeriæ* quæ feruntur præcepta talia fuisse ut ea *Pompilius* intellexerit, talia quoque *Tagis* ut *Etruriæ* bubulci ea potuerint edisсere posterisque per manus transdere. Hinc colliges hæc omnia potuisse vulgari, nulla licet *Ægeria*, nullusve *Tages* exstitisset. Nam quæ possunt ab omnibus intelligi, possunt à quovis inveniri

sive

ſive pro certis adfirmari.

Atqui, quod majus eſt, agnoſcis, Rex *Gelo*, demonſtrationem Theorematis quo declaratur in triangulo rectangulo quadratum lateris maximi æquari ſummæ quadratorum à reliquis à *Pythagora* quidem potuiſſe pertexi; ſed & inveniri quoque ab aliis potuiſſe ſi rationem mortalibus omnibus inditam eodem modo coluiſſent atque ſubduxiſſent quo ſuam *Pythagoras*.

At me problematis de Inventoribus ſolutionem exhibiturum, quo nullum nobilius agnoſcit divinarum atque humanarum rerum ſcientia, per literas monuit Ille meus *Archias*

chias, Jove opti maximo sospitante nupem in patriam per maria tumultuosa reduxisse solutionem problematis edidisse. Quapropter, Re ab Archia confecta, valere Te jubeo, Rex Optime, moneoque ne Romanorum opes in Sicilia crescere diutius sinas.

ERRATA.

PAge 2. *l. ult. lege* ſeclo. *p.* 4. *l.* 12. Carthaginienſes. *p.* 6. *l.* 5. rebuſque. *p.* 13. *l. ult.* deponatur. *p.* 15. *l.* 4. ſecla. *l. ult.* errorem & Arenario. *p.* 16. *l.* 17. Arenarii. *l.* 19. ſeculorum. *p.* 22. *l. ult.* propriis. *p.* 24. *l.* 18. perimeter. *l. ult.* Apolline, *p.* 25. *l. penult.* Pœnum. *p.* 26. *l* 7. parricidia. *p.* 30. *l.* 8. ſive. *p.* 31. *l.* 5. cum. *p.* 33. *l.* 4. Traſumenium. *l.* 16. haberet. *p.* 34. *l.* 9. quatuor —unum. *l.* 13. Te. *l.* 15. Ægyptii. *p.* 36. *l.* 9. ſimilia. *l.* 13. pœnituiſſe. *l.* 15. melius. *p.* 38. *l.* 17. quidam. *p.* 39. *l.* 4. civitate. *l.* 13. fœminis. *l.* 16. Pœnorum. *p.* 40. *l.* 5. Pœnis. *p.* 44. *l.* 5. Jovis. *p.* 45. *l.* 17. ſuffulto.

INDEX